

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 189

Lucius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Herueo abbati et monachis Maioris Monasterii salutem et apostolicam benedictionem. Quanto studiosius obseruantiae insistitis regulari et specialius monasterium uestrum b(eati) Petri iuris existit, tanto facilius iustas petitiones uestras admittimus et profectibus atque commodis uestris efficacius debemus ac uolumus prouidere. Eapropter petitionibus uestris gratum prebentes assensum quaecumque uobis uenerabilis frater noster Cenomanensis episcopus canonice contulit et scripti sui munimine confirmauit, sicut ea pacifice possidetis, uobis et iamdicto monasterio auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum etc. Si quis autem etc. Dat. Anagniae IIII nonas octobris.